



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. III. Hoc etiam miraculo hominib. festus conceptionis dies
commendatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

bonoq. animo esse iussit, desperatam salutem Virgini nomine, ac uerbis promittens. E trucib. hisce tempestatib. faeuissimisq. procellis te, illa, inquit, quã semper coluisti, eripiet; te ipsa à mortis limine, atq. ab exitio, quod impendet, uindicabit. At tu purè fidem da, te semper posthac, quandiu uixeris, diem illum, quo ea concepta fuit, qui vj. eid. Decemb. aduenit, solemniter celebraturum; & etiã daturum operã, ut oēs digno honore colant, ac prosequantur. Monuit præterea Helcimũ, ut eo die obseruaretur idem sacrae precatiõnis ritus, quem Romana ecclesia eiusdem Virginis natiuitatis diei præscripsit; mutatis nominib. tantũ; ut à natiuitate conceptionis fiat distinctio. Euafit igitur, & elapsus fuit è tanto periculo; & aduenientem quotannis diem illum, sanctissimè coluit.

MIRAC. VIRG. III.

Hoc etiam miraculo hominib. festus conceptionis dies commendatur.

Consueuerat clericus quotidie dispertitis horis, ineunte statim die, ac sole dilucescente, hymnis Virginem uenerari. Is etsi statuerat postea se ceteris ordinib. gradatim addicere; tamen assiduis precib. affinium, de uxore ducenda cõsiliũ inuit. Quare cũ dicta esset, & præstituta nuptijs dies; iam reidiuinae unã cum sponsa interfuerat, & de more, Ecclesiaeq. instituto ea oĩa sacerdos sanctè præstiterat, quae in tanti ponderis sacramẽto opus sunt. Sensit autem adolescens, se quãdam illarũ precatio-

num partem ommisisse, quas quotidie offerre consue-
 uerat. Dum recta igitur domum properantes ceteri
 sponsam comitarentur; ipse se in templo abdidit;
 ut quae erant peragenda, attentè perficeret. Vbi ad
 ea uerba peruenit, Pulchra es, & decora filia Hie-
 rusalem, pulcherrimam coeli reginam, Angelis comi-
 tatam, clarissimamq. luce fulgentem uidit: quae ita sy-
 dereo ore leniter locuta est. En iuuenis me pulchram
 dicis, & appellas; tamen ad alteram spōsam animum
 confers, & appellis? qui id fit? quae nam haec est muta-
 tio? quae mens tua est? q. animus, aut cogitatio? Ado-
 lescens, qui iam diuino fulgore fuerat perterritus, ut
 se collegit, ita coepit respondere. O mater, cuius dif-
 fuso lumine coelum micat, & effulget; quae sola mor-
 talib. potuisti tranquillam pacem afferre; cuius solus
 natus mortis, & Satanae furores repressit, quid mihi
 imperas? quid iubes? tuum est, ò regina, dicere quid
 optes; meum est rectè curare quae uelis. Ad uoluntatē
 tuam, ad nutum tuum me semper paratum habebis;
 tibi parere ualde exopto. Scio equidem, te magnope-
 re eniti, ac laborare; & id unum agere, ut tandem te-
 cum immortali aeuo, aeterna cum tranquillitate frui
 possim. Illi ipsa in mandatis dedit; ut animum peni-
 tus à mortali illa sponsa abduceret; altiusq. illum ad
 purum, castumq. uitae genus efferret; quod si fecisset,
 pollicita est, se illi connubio stabili perpetuam spon-
 sam futuram. Haec omnia cum ipse probasset, & ad-
 eius sententiam lubentissimè accessisset, eundem hor-
 tata est, ut conceptionis diem coleret, & ueneraretur;
 laboraretq. etiā ut hoc itidē alij facerēt. Eius rei prae-
 miū, illi in coelesti regno gloriā sēpiternā promisit.